

Fontis bellauei septimo kal. maji, divo Marco Reipublicæ tutelari dicata die, tertia mascula proles, cui Andegavum debebatur, accessit; idque per Sciampignium oratorem, qui antea Fraxineo successerat, Senatui significavit; Principemque, ut lustrali unda regio infanti abluendo adesset, invitavit.

1608  
Henricus  
Rex ad tor-  
tiogenit  
baptismum  
Republicæ  
invitat.

Dum vero Europa reliqua a belli laboribus conquiesceret, novi in Germania motus exorti, pene provinciæ illius pacem interturbarunt. Cum enim Matthias Cæsarem fratrem jam ætate proiectum absque liberis cernens, ne eo defuncto tumultus ac dissensiones in Pannonia ac Bohemia orirentur, veritus, eorum regnorum successorem declarari se petiisset; idque nulla ratione obtinere posset; ex Austria & Hungaria coactis copiis, in Bohemiam ac Moraviam penetravit; Javarinensem ac Vesprivensem Episcopos ad Cæsarem misit; qui, quoniam inclinata jam ætate, neque par tot laboribus sustinendis esset, regni Bohemici successorem se deligi peterent. Id cum certis conditionibus, quæ sibi minus placebant, ab ordinibus impetrasset; vi Pragam aggredi statuit. Cæsar interea cuncta ad defensionem comparabat, ac repente milites colligebat; verum gregarios homines, qui ab aratro ad signa tumultuarie evocabantur, cum in fratribus exercitu viri Pannonicò bello exerciti, laboribusque durati inventarentur. Quotidie classicum personabat; ancipiti marte nonnunquam certabatur; Hungari Bohemos lacebant, ut Praga urbi obfessæ haud dissimilis videretur. Philippus Hispaniarum Rex ac Septemviri Electores conciliare dissidentes fratres nituntur. Ut majori auctoritate negotium ageretur, præter ordinarium Internuncium, Cardinalem Joannem Garziam Melinum, Legatum in Germaniam Pontifex mittit; qui antequam Pragam pervenisset, concordia iis conditionibus fancita fuerat: Cæsar senectutem variasque curas, quibus Imperii moles nutabat, causatus, Matthiam fratrem utriusque Austriae supra atque infra Hensam amnem vicarium creavit: quidquid juris in eo obtineat, ei masculisque filiis cessit: regno Hungarico penitus se abdicavit, sacramento subiectos exolvit: Matthiae inaugurationi adjensus, auxilia ad Turcas coercendos, regnique limites tutandos pollicitus

Matthias  
Austrius  
milites cogit  
& a Cæsare  
Bohemici  
regni succes-  
sionem pe-  
tit.

H. Mauroceni T. III. Ee 3 est:

Melinus  
Cardinalis  
a Pontifice  
in Germa-  
niammitti-  
tur.